

Michæa, dicamusque: *Vivit Dominus, quia quodcumque dixerit mihi Dominus (conscientia) hoc loquar.* Et sane, tales regno Dei digni sunt. Cum enim quæsisset David: *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo,* respondet inter alia: *Qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua,* supra dom. IV. post pascha, conc. VI. et de mendacio, vide plura, dom. seq. conc. VI.

CONCIO VI.

QUINQUE PSEUDOPROPHETÆ CAVENDI: MUNDUS, CARO, DEMON, HÆRETICI, DIVINATORES.

- I. Mundus: 1. Promittit vitam, dat mortem. 2. Promittit gaudium, dat mœrorem. 3. Promittit quietem, dat turbationem. 4. Promittit florem, sed dat fugacem. 5. Promittit stabilitatem, et fugit. — II. Caro: 1. Promittit vitam, dat mortem. 2. Promittit gaudium dat tristitiam. 3. Prædicat morbos et mortem immaturam. — III. Dæmon. — IV. Hæretici. — V. Divinatores.

THEMA.

Attendite a falsis prophetis. Matth. VII.

Nautæ, auditores, in vasto mari positi non omni vento credunt atque obsecundant, sed discernunt ventos, quinam sibi commodi, quique sint incommodi; alioquin certo certius aberrarent a destinato portu, et sæpe agerentur in scopulos et syrtes, adeoque in certum exitium. Non minori studio, sed majori longe attendendum est, ne cujuslibet doctrinæ, suasioni et illecebræ aures atque fidem demus in hoc mundo; uti monet S. Joannes, ep. 1. c. IV. *Charissimi, nolite omni spiritui credere; sed probate spiritus, si ex Deo sint.* Primi nostri parentes audierunt vocem serpentis, et seducti sunt, Gen. III. bonus et simplex quidam propheta audiit vocem mali prophetæ, ut prævaricaretur Dei mandatum, et in pœnam a leone occisus est, III. Reg. XIII. audiit Achab rex vocem pseudoprophetarum suadentium sibi bellum ac promittentium victoriam, et in prælio occisus est, III. Reg. ult. Quare cum pseudoprophetæ in mundo varii et multi sint attendite charissimi a prophetis falsis, quorum quinque genera hac concione detegimus.

I. Est mundus, qui quam vana prædicat ac promittat, exponit S. Augustinus, serm. XXXI. ad fratres in eremo cum ait: *O munde proditor, cuncta bona promittis, sed cuncta mala profers: promittis vitam, sed donas mortem; promittis gaudium, sed largiris mœrorem; promittis quietem, sed ecce turbatio; promittis florem, sed cito evanescit; promittis stare, sed cito recedis.*

Ergo primo, promittit vitam et donat mortem. Pollicetur enim homini multos annos et in morbis quantumcumque periculosis convalescentiam et vitam, ad instar illius divitis, qui ad se dicebat: *Anima, habes multa bona, posita in annos plurimos, requiesce, comede, epulare, bibe,* sed audiit vocem Dei: *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te, et quæ parasti, cujus erunt?* Quin et beatitudinem liberalissime promittit mundus etiam male viventibus, præsertim in articulo mortis, mortuosque beatos prædicat, similis uxori Sisaræ, de quo absente in prælio talia ominabatur: *Forsitan nunc dividit spolia et pulcherrima feminarum eligitur ei: vestes diversorum colorum Sisaræ traduntur in prædam et supellex varia ad ornanda colla congeritur.* At miser ille tuncolvebatur ante pedes Jahelis, terræ affixus et jacebat exanimis ac miserabilis, Judic V.

Secundo, promittit gaudium, sed dat mœrorem. Sic in die nuptiarum promittit sponsis aureos montes, et dat ferreos. Mundi figura in hoc fuerunt quatuorcenti pseudoprophetæ Achab regis, qui prædicebant illi victoriam, e quibus unus ut persuaderet regi, quæ dicebant, commentus est cornua ferrea in similitudinem tauri, quibus huc illuc discurrens sic loquebatur: *Hæc dicit Dominus: His vantilabis Syriam donec deleas eam.* Sed rex victus et in prælio occisus est, et linxerunt canes sanguinem ejus. Id quod Michæas propheta Domini ei prædixerat, sed a rege non auditus, III. Reg. XXII. Hunc in modum mundus pollicetur sanitatem, honores, divitias, dignitates, victorias, etc. ac si hæc omnia in potestate sua haberet, et, cui vult, largiri posset: sed mentitur furcifer, obtrudens scoriam pro auro, mœrorem pro gaudio.

Tertio, promittit quietem, dat turbationem, dum per adulatores loquitur homini placentia, vitia ejus palpat et excusat, interim vero animam ejus internis doloribus replet; similis malo chirurgo, qui vulnus repente curaturus, carnem ei superinducit, quasi jam sanatum sit, cum tamen adhuc intra cutem maneat et saniem ducat, qua membrum cruciatur, et caro integra corrumpitur. Tales erant pseudoprophetissæ illæ apud Ezech. c. XIII. quibus minatur: *Væ, quæ consuunt pulvillos sub omni cubito manus, et faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis.* Ita nimirum blandientibus sermonibus molliter cubare facit mundus conscientias, quæ alioquin absque pulvillo illo dure et inquiete jacerent, velut si quis cubito incumbat super mensam aut petram innixo. Unde S. Gregorius, XII. moral. c. IV. ait: *Quisquis male agentibus adulatur, pulvillum sub capite vel cubito jacentis ponit, ut qui corripi ex culpa debuerat, in ea fultus laudatus non poterit quiescat.* Sed parum proficiunt hi

pulvilli, cito reclamationem et redarguit eos conscientia, unde sequitur perturbatio.

Quarto, promittit florem, qui tamen cito evanescit, dum cultores suos lactat vana spe. Promittit eis liberos, qui bases et columnæ familiæ sint futuri; sed mox hunc rapit bellum, ipsum pestis, tertium carnifex, quartum hospitale, quintum perversi mores in transversum agunt, sextus evadit stupidus et inutile terræ pondus; vel moriuntur parentes, priusquam eos videant puberes. Exemplo est Rachel, Gen. XXXV. quæ cum partus doloribus periclitaretur, consolata est eam obstetrix his verbis: *Noli timere, quia et hunc habebis filium;* sed interim una filium et animam effudit, quem proinde Benoni, id est, filium doloris sui vocavit: sic mundus promittit liberos, sed ii sæpe cito moriuntur, vel pervertuntur, et fiunt parentibus Benoni, filii dolorum. Lactat alios spe hæreditatis et postea alios instituit hæredes, uti facit Q. Cæcilius Lucullo, apud Val. Max. I. VII. c. VIII. Cum enim præ se tulisset semper Lucullum sibi hæredem fore, velut optime de se meritum, præter omnium expectationem instituit Pomponium Atticum, ideoque ejus cadaver a pop. Rom. fune tractum est per viam.

Quinto, promittit stare, sed cito recedit: similis onagro, qui homine conspecto in iisdem stat vestigiis; sed ubi tam prope accessit venator ut cum manu tangere possit, fuga se subtrahit bestia, ut refert Pererius, in Gen. de animalibus in arcam ingressis. Idem mundi est ingenium: multa tibi promittit, sed ubi ea apprehendere volueris, subducit.

II. Est caro, quæ prophetat et promittit homini; primo vitam et felicitatem, si sequatur voluptatem; sed dat mortem animæ, et non raro etiam corporis; siquidem deliciæ, varietas ciborum, ebrietas, sommus longior, Venus immoderata, omnis generis morbos, et molestias, mortemque acceleratam, afferre consueverunt. Qua in re depinxit egregie carnem Jahel illa, Judic. IV. quæ fugienti Sisaræ occurrit blandis verbis: *Intra ad me, Domine mi, intra, ne timeas.* Cum autem ille ingressus in tentorium ejus, potum aquæ ab ea postulasset, aperuit illa utrem lactis, eique bibendum porrexit; quo hausto operuit illum pallio, vel pellibus (ut habent Septuaginta) et somno sopitum, clavo in tempora ejus adacto interfecit. Hunc in modum blanditur caro et objectas delicias ac voluptates veluti dulce lac propinat homini, ita ut gravi quasi veterno correptus, rerum celestium, mortis ac judicii obliviscatur; postea clavo consuetudinis non facile extrahendo terræ affigit, atque ita demum perimit. Facit huc quod Socrates apud Platonem in Phædone ait: « Voluptas

quasi clavum tenens animum corpori conjungit atque affigit, afficitque ut infectus corporea specie, ea putet esse vera quæ suadet corpus. »

Secundo, promittit gaudium et delicias; sed pro iis dat tristitiam et remorsum conscientiæ: propinat enim vinum voluptatis in aureo calice, quod quidem blande ingreditur, sed in fine mordet ut coluber; id quod docuit Salomon, Prov. XXIII. *Ne intuearis vinum, inquit, quando flavescit, dum splenderit in vitro color ejus: ingreditur blande, sed in novissimo mordebit ut coluber.* Vinum hoc carnis voluptas est, quæ sua dulcedine et splendore invitatur ad bibendum, sed dulcedinem compensat sequente amaritudine. Denique, caro delicate nutrita, in morte magis foetet, uti docet B. Petrus Damianus, lib. VII. ep. XIX. ad Blancam, confirmatque exemplis Sophiæ marchionissæ, et ducissæ Venetiarum, quæ tunc recenter mortuæ fetorem intolerabilem exhalabant, eo quod delicate nimis carnem nutritissent.

Tertio, vaticinatur tibi morbos et præproperam mortem si paulo durius tractetur, abstinentia aut verberibus, cilicio vel vigilia. Dicit tibi, quod piger ille Prov. XXII. *Leo est foris, in medio platearum occidendus sum.* Pereundum mihi erit, si per quadragesimam, vel tempore plebotomiæ aut sumendæ potionis abstinendum sit a carnibus, si hiemali frigore durandum in ecclesia, quamdiu res divina durat, etc. Verum non audiendus est hic vates, quia plerumque decipit, et longe plus sustinere possunt vires naturæ quam mentiaturo caro. Audiamus quid hac de re scribat card. Bellarm. vir summæ auctoritatis: « Audi aliquando hominem (inquit conc. XXIII.) quemdam extitisse, qui cum esset domi suæ in deliciis enutritus, fere semper ægrotabat, et vel ipsum aerem metuebat, et nisi cibos tenerrimos, et optimos habuisset, se statim mortuum arbitratur. Is quodam tempore per mare iter faciens incidit in piratas, et ab iis ad triremes alligatus, diu noctuque sine ulla intermissione laborabat: ejus cibus erat panis, isque bis coctus, potus aqua, obsonium verbera. Quis non diceret: Post paucos dies iste morietur? Et tamen post paucissimos menses sanissimus, robustissimus, et pinguis effectus est. » Itaque similis est caro nostra animantibus brutis, quæ nec bonis verbis, nec blanditiis, nec persuasionibus, sed solis verberibus obtemperare didicerunt. Alas equum hordeo, et non laborat per aliquot dies, videbis, si non statim fiat indomitus, et si non calcitrabit, et mordebit cum equitare volueris: equus est caro nostra: quanto lautius nutritur, tanto fit petulantior.

III. Est dæmon, qui terribilissimus pseudopropheta est, utpote mendax et pater omnis men-

dacii. Promisit ille seu vaticinatus est primis nostris parentibus vitæ æternitatem, vel saltem securitatem in quam plurimos annos: *Nequam moriemini*: promisit honores divinos: *Eritis sicut dii*: promisit scientiam omnium rerum: *Scientes bonum et malum*. Nihil tamen horum præstitit, contrarium parentes nostri experti sunt. Et quamvis ab initio statim vanissimus propheta fuerit, nihilominus tamen adhuc iisdem suis mendaciis plurimos circumvenit. Divitibus promittit vitæ longævitatē; uti illi qui dicebat: *Anima habes multa bona posita in annos plurimos*: ambitiosis promittit honores: curiosis occultarum rerum scientias, uti maleficis, etc. omnibus demum spondet pro servitio suo æternam felicitatem: sed decipit et mentitur miser, qui cum ipse nihil nisi pœnas habeat, quid aliis præstare nisi tormenta queat? S. Gregorius, l. IV. dial. c. XLIX. dat exemplum de quodam: « Qui dum somnia, inquit, vehementer attenderet, ei per somnum longa spatia hujus vitæ promissa sunt. Cumque multas pecunias pro longioris vitæ stipendiis collegisset, ita repente defunctus est, ut intactas omnes relinqueret, et ipse secum nihil ex bono opere portaret. » Scimus etiam qua ratione deceperit Rathbodum Frisonum regem, dum cuidam ejus legato socio diacono monstravit domum miræ pulchritudinis quasi auream, auro et gemmis stratam, in eaque thronum incomparabilem, addens: *Hæc est mansio præparata Rathbodo duci*. Verum dum diaconus fraudem dæmonis adverteret et signum crucis effingeret, e vestigio disparuit tota illa imaginaria machina, remansitque diaconus cum legato Frisone in medio loci palustris, pleni virgultis et carectis, vixque tridui itinere reversus est ad suos, Vincent. in spec. hist. lib. XXIII. cap. CXLVI. Promittit ergo dæmon regiam, et dat plaudem: promittit vitam et dat mortem, quia: *Stipendia peccati mors*, ad Rom. VI. Græce, *obsonium peccati mors*. Obsonium autem est vilis cibus, militibus destinatus, velut panis rancidus aut arborum fructus. Hoc stipendium dæmon dat militibus suis. Laban ille quam mercedem dedit servo suo Jacob pro labore quatuordecim annorum? Promisit ille quidem Rachelem, pulchram filiam suam, sed de nocte substituit illi Liam, filiam alteram, deformem et lippam, Gen. XXIX. Idem quoque dæmon facit; promittit servis suis delicias et dat pœnas; promittit felicitatem et dat gehennam. Quare sicut Jacob cum mane evigilavit, deceptum se a Laban cum dolore vidit: ita cum in luce alterius sæculi evigilabunt reprobi, ibi demum sentient, quanto suo malo decepti sint a dæmone.

IV. Quarto loco occurrunt hæretici vel potius

hæresiarchæ et præcones hæreticorum, qui in hoc imprimis pseudoprophetas se ostendunt, dum falsis suis dogmatibus et commentis populos dementant, favorem Dei, certitudinem salutis et fausta omnia eis promittentes, modo in Christum credant, neminem fidelem a salute excidere posse, Christum ita pro nobis satisfecisse, ut nihil jam satisfactionis, nihil boni operis a nobis amplius requiratur: licitum esse templa spoliare, vota violare, matrimonii legem rumpere, etc. Cujusmodi prophetis minatur Deus, Ezech. XIII. dicens: *Et erit manus mea super prophetas, qui vident vana et divinant mendacium, etc. eo quod deceperint populum meum dicentes: Pax et non est pax. Et ipse ædificat parietem, illi autem lineabant eum luto absque paleis*. Nonne lutum absque paleis sunt fœda illa et falsa simul commenta hæreticorum, carnis voluptates necessarias esse, et personis etiam sacris concessas? Cum peccatis æque ac cum bonis operibus cælum obtineri, etc. Itaque cadet paries iste, quia luto mendaciorum incrustatus est.

Verum neque hic sistunt hæretici, volunt etiam veri et divini prophetæ haberi, sed infelici et ridiculo eventu; quæcumque enim vaticinati sunt, ea fere in contrarium semper accidere. Montanus hæresiarcha sub annum Domini 182. prophetam se, imo Paraclitum asseruit, prædixitque sub imperatore Commodus immanem in Christianos persecutionem fore. Verum contrarium evenit: Commodus enim pacem Christianis dedit, et in eos potius sæviit, qui afflixerant Christianos. Montanus laqueo sibi vitam abruptit, quod etiam fecerunt duæ ejus prophetissæ, nobiles meretrices, Prisca et Maximilla, testis Eusebius, l. V. hist. c. XV. Curbicus, qui se Manichæum, hoc est, manne effusorem seu datorem appellabat, et ipse se prophetam atque apostolum Christi jactans, promisit se suis precibus filium regis Persarum ægrotantem exhibiturum sanum; sed exhibuit mortuum, unde vivus a rege excoriatus est, testis Cyr. Hier. catech. VI. Nostro sæculo Lutherus nonne pseudopropheta fuit, qui inter alia vanissima præsentia et hoc cecinit: *Pestis eram vivens, moriens ero mors tua papa*. Et quantus propheta ejus discipulus Michael Stifelius, qui anno 1533. constanter prædixit certo die, quem nominavit, finem mundi adfuturum, sicque rusticam plebem misere dementavit, dum alii pergræcando sua abligurierunt, alii otiano agros non coluerunt, alii gemendo triste fatum expectarunt, testis Laur. Surius, in chron. « Sed et ex Hollandia (inquit Nicolaus Serarius, præfat. in lib. Judith) duo summi prophetæ, Henoch et Elias venerunt, Joannes inquam Bokelson Leidanus,

sartor antea, postea novi templi in Sion rex, et Joannes Mathisson Harlemius. Hic, ipso paschalis die a cœlesti Patre sibi nuntiatum dixit, si exiret in obsidentis episcopi castra, futurum ut ipse solus, novus nimirum Samson, hostes omnes funderet, cæderetque. Approbarunt prophetæ omnes, et ille bipenni sola instructus egreditur, statimque hasta transverberatus concidit. Nihilominus tamen mulier una fuit, Hilla nomine, Frisia, e quodam ad Lewardiam oppido, quæ quod Holofernem, in Bethuliensi obsidione, a Judith occisum cognovisset, alteram se jamjam Judith appellandam sibi ipsi persuasit. Addit prophetarum summorum residuum, Leidanum illum, et indigenam prophetam alium Kniperdollingium. Iis consilium suum aperit: e tenuissimo lino interulam, lethifero veneno imbutam, quam episcopo donare velit, ostenta formam, blanditias, dolosque ad miserum irrefiendum, abunde sibi docet suppetere. Laudant eam illi magnopere, et cum omni sese jam lenocinio et fuco illa venustasset, eam, in curiam, ubi muliebris mundus omnis congestus erat, deducit Kniperdollingis: jubet accipiat annulos, monilia, calanticas, aurum, denique quidquid velit. Die junii 16. urbe sola prorsus et incommutata exit: sese obsidentibus militibus ultro capiendum dat. Ad Wolbeceanum illico satrapam deducitur, ab eo examinatur, et de variis interrogatur. Illa se cum marito, evangelica causa, monasterium e Frisia, venisse ait, sed facti penitere; extremam in urbe famem esse, huic exitium jam impendere: et vero, se quæ bibliorum lectionem assiduam optasset, nunc in aggerenda pro mœnibus terra, perpetuo distineri, misereque vexari; sed et habere, quæ ipsi episcopo, partim de urbe a marito, quem nullum habebat, prodenda, dicere, partim donare velit extulisse istud, quidquid erat, auri et gemmarum, ut dum caperetur urbi, essent hæc saltem jam conservata. Pene persuasisset, nisi consecleratam Sinoniam, veneficamque Dejaniaram transfuga civis Hermannus Ramers detexisset, ipsaque tandem abscisso, licet a cœlesti Patre se omnino protegendam asseveraret, capite, redactoque in cineres cadavere, pœnas dedisset. » Hæc ille.

Quare sicut propheta vera est Ecclesiæ Christi nota, pseudopropheta nota est hæresos et synagogæ Satanæ (qui pater est mendacii) juxta id Deut. XVIII. *Si responderis: Quomodo possum intelligere verbum quod Dominus non est locutus? Hoc habebis signum, quod in nomine Domini propheta ille prædixerit et non evenerit, hoc Dominus non est locutus, sed per tumorem animi sui propheta confinxit.*

V. Agmen claudant divinatores, qui et ipsi

dum ex astris aliisque rebus vanissima conjectant, non immerito referri in pseudoprophetarum album possunt; de quibus dicitur Zach. X. *Divini viderunt mendacium, et somnatores locuti sunt frustra: vane consolabatur*. unde suadet propheta: *Petite a Domino pluviam in tempore serotino, et Dominus dabit nives, et pluviam dabit eis singulis herbam in agro*. Longum foret divinatorum infelicia præsentia seu mendacia referre. Ludovicus Stortia, versutus princeps impendiosum quemdam astrologum, seu mendacissimum aluit, in quem plus quam centum auri talenta profudit. « Astrologus pro tanta mercede tempus unicuique negotio inchoando præscribebat, adeo ridicule, ut princeps cogere- tur tempestatibus maximis equum conscendere, et cum aulico comitatu ac stipatoribus alio migrare per medios imbres, per cœnum ac lutum, non secus ac si hostium manus fugeret. Tam felici eventu; regno tandem a Gallorum rege spoliatus, captus, in carcerem conjectus, colapho cæsus, in clathrata ferrea mortuus fuerit, verum fortunæ utriusque ludibrium, inquit Cardanus, in Ptolom. de astror. jud. l. 1. tex. XIV. Joann. XXI. pont. max. (qui ante Petrus Hispanus, auctor summularum) medicus, philosophus, astrologus, ex stellarum situ, et positura, longam sibi vitam in pontificatu pollicitus coram familiaribus suis quarto post mense, pontificatus octavo subito corruente testitudine recentis ædificii Viterbii oppressus interiit, auctoribus Valerio et Stella, in vitis pontif. » inquit Martinus Delrio, l. IV. disquisit. c. III. q. II. De Ferrandi Flandri fortuna mater ejus ariolos consuluerat, hocque ab eis responsum accepit: *Rex in prælio cadet, pedibus hominum atque equorum calcabitur, nec sepelietur; Ferrandus vero a Parisiensibus jucundissime excipietur*. Verum secus evenit. Nam in bello contra Philippum Francorum regem captus Ferrandus Parisios ducitur, et carceri includitur, anno Christi 1211. ita Rob. Gaguinus, l. VI. histor. Franc. Ac licet interdum eventus respondeat horum prædictionibus, non ideo tamen audiendi sunt, quia id permittitur ob nimiam quærentium curiositatem, teste D. August. l. II. de doctr. christ. c. XXII. et XXIII. qui recte addit: « Non quia vera sit prædictio, idcirco minus esse superstitionem, vel sacrilegam, vel ideo magis licere prædictionibus talibus fidem dare; sed semper retinendum illud Dei præceptum: Etiam si dixerint nobis et ita evenerit, ne credamus eis, Deut. XVIII. Denique, quod de somnis dixit Aristoteles, hic quoque verissimum; hujusmodi divinationem non nisi ex accidenti fore veram, sicut enim, qui assiduo jacit aleam, vel talos figit, is, aliquando seniones, aliquando Venerem jacit invenitque: sic cum isti centies

mentiantur, quid mirandum, si ter verum dicant? Quis non credat Deo? Ipse autem clamat, *sa. XLIV. Ego sum Dominus, irrita faciens signa divinorum, et ariolos in furorem vertens, convertens sapientes retrorsum, et scientiam eorum stultam faciens.* Idem quoque facere principes aliqui voluerunt. Joann. Galeatus dux Mediolanensis, cum ei astrologus quidam mortem immaturam plane prædiceret; sibi ipsi vero longam vitam polliceretur, hominis ridens stoliditatem, statim strangulari eum jussit, Cozozet. l. dict. et fact. mem. «Henricus Angliæ rex, ejus nominis VII. divinatorem, seu vatem quemdam astrologicum deridere maluit, quam aut diris punire supplicis, aut etiam e medio tollere. Ex astrorum igitur rationibus regem eo anno moriturum ille prædixerat. Id ubi rex rescivit, hominem accersit, rem honorificis verbis dissimulans. Inter cætera seisciscitur, num ex astris certa prænuntiari possent. Aiebat: Num ipse ejus artis peritus esset. Annuebat, sperans tanto pluris se apud regem fore. Die ergo mihi, inquit rex, ubi tu futurus es his festis, quæ imminet, Domini natalitius? Hærebat. Quum urgente rege negaret se posse certum prædicere: Itaque, subiecit rex, ego sum artis quam tu peritior: scio te futurum in turri (sic enim vocant locum munitum Londino imminet, in quo servantur, quos volunt esse in tuto) simulque innuit, ut duceretur. Illic ubi satis refrixerat divinandi calor, cum risu dimissus est.» Ita refert Pontanus, in *Att. bellar. pag. II. ex Erasmo, in lingua. Quare, auditores, cum tot falsos prophetas in mundo esse videamus, attendite a falsis prophetis, et nolite omni spiritui credere, nolite omni vento obsecundare; sed probate spiritus, examine ventos, si ex Deo sint.*

CONCIO VII.

HYPOCRITARUM INDICIA.

I. Humiliare se nequeunt. — II. Sunt leves et inconstantes. — III. Tacti adversitate impatientes sunt. — IV. Objurgati murmurant. — V. In humili mites, in alto efferati sunt. — VI. Struthioni similes. — VII. Sunt lapi.

THEMA.

Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium. Matth. VII.

Inter falsos prophetas, qui hypocritas numerabit, nullam iis injuriam facit; siquidem et isti veniunt in vestimentis ovium, intrinsecus autem lupi sunt: ipsi etiam arbores sunt foliis vestitiæ, fructibus vero destituti. Quare sicut interest nosse pseudopphetas, ita etiam refert

hypocritas novisse. Idem enim Dominus qui monuit in hodierno evangelio: *Attendite a falsis prophetis*, monuit etiam Luc. XII. *Attendite a fermento Phariseorum, quod est hypocrisis.* Arborem sanam ab effectu dignoscere inter alia possumus ab integritate: si enim intus cava sit (quod securi explorant lignarii) læsam se demonstrat et corruptioni proximam, adeoque infrugifera, sin minus, sanam atque utilem. Eadem ratione deprehendi possunt hypocritæ, ex interna scilicet sua inanitate. Sic enim Joannes, Apoc. III. scribit ad episcopum quemdam hypocritam: *Nomen habes, quod vivas et mortuus es. Non enim invenio opera tua plena coram Deo meo.* Erant namque speciosa exterior, et vento gloriæ tumida, sed intus vacua pietate, spiritu et merito, inquit ibi Cornelius a Lapide. Cum ergo vacua et inania sint hypocritarum opera, non difficile dignosci a plenis aliorum operibus potuerunt; deinde, quia etiam lupi sunt, ab ovibus discerni: et quia, teste Job, struthioni similes sunt, inde etiam agnoscere possunt; id quod nunc faciemus.

I. Vasa vacua aquis supernatant, fundum non petunt. Sic etiam hypocritæ diu in humilitate detineri aut seipsos continere non possunt, sed mox in altum assurgunt, se suaque opera produnt ac magnificant, aliena vero deprimunt, uti Phariseus ille orans: *Deus, gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri, etc.* Audiamus D. Gregorium, I. VIII. c. XXXVI. *Hypocritæ, inquit, factis suis arbitros inquirunt, si vero eorum operi testes deesse contingat, narrant ipsi quæ gesserint. Cumque efferri favoribus cœperunt, sæpe eisdem suis operibus, quæ egisse se referunt, mentiundo utiquid adjungunt.* Claruit hoc in Saul rege, qui cum filius ejus Jonathas percussit stationem Philistinorum, statim cecinit buccina in omni terra dicens: *Audiant Hebræi.* Sed quænam illa fama? *Percussit Saul stationem Philistinorum.* Non ipse, sed filius ejus victoriam illam obtinuerat, et tamen eam sibi attribuit, moxque in regno suo evulgat, ut populi applausum caperet; qui etiam clamavit post Saul, utique voce illa: *Vivat rex,* I. Reg. XIII. Hunc in modum igitur suas canunt laudes hypocritæ, et in vulgus spargunt, tametsi sæpe falso. Unde monet Dominus, Matth. VI. *Cum facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis et in vicis, ut honorificentur ab hominibus.* Sed quid inde obtinent? *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam, inanem, videlicet pro inani opere.* In I. IV. Reg. c. XIV. scribitur apologus, quo carduus petiit filio suo filiam cedri, quæ est in Libano, uxorem: *Sed transierunt bestie saltus, quæ sunt in Libano, et conculcaverunt carduum.* Quis iste carduus nisi hypocrita, flori-

bus quidem coronatus, sed aculeis interim horridus? Postulat in conjugem filiam cedri Libani, hoc est, odorem bonæ famæ, gloriæ et honoris; sed interim conculcatur a bestiis, hoc est, a dæmonibus, qui pro gloria reddunt ei confusionem et ignominiam, ac gehennam denique, hæc illorum merces atque uxor est.

II. Res vacuæ facile sunt mobiles de loco ad locum; sic hypocritæ leves et inconstantes sunt, facileque mobiles de contrario in contrarium; quia in vera virtute non solidantur. Dum honoris gradus se non offert, eum spernunt, cum apparet, primi eum expetunt. Huc pertinet quod S. Basilius, in hexam. hom. VII. scribit: «Non silebo, inquit, polyphi dolos ac furacitatem. Is cuicumque saxo adhæserit, illius colorem subit, atque adeo ut piscium complures ad ipsum de improviso nantes tamquam ad saxum appellant, paratamque se illi prædam offerant. Tales sunt (hypocritæ) qui sobrietatem cum sobriis laudant, intemperantes sunt cum intemperantibus, atque ad id quod cuique placet, suam omnino sententiam vertunt.» Ita Absalon, ut patris regnum invaderet, omnium subditorum se moribus accommodabat, illorum querelas audiebat, adorantes se manu prehenso erigebat et deosculabatur, quo illorum favorem sibi conciliaret, II. Reg. XV.

III. Vasa vacua resonant, ac quodammodo remurmurant, cum pulsantur, non item vasa repleta: ad eundem modum hypocritæ pulsati adversitate aliqua produnt impatientiam suam, execrantur et insanunt: qui vero boni et sinceri sunt, silent patienter. Unde S. Gregorius ait: *Qualis unusquisque apud se lateat, illata contumelia probat.* Atque hinc sperabat dæmon in se S. Job hypocrisin deprehensurum, si calumitate tactus foret: *Tange os ejus et carnem,* inquit ad Deum, *et videbis, quod in faciem benedicat* (id est, maledicat) *tibi,* Job II. Verum deceptus est in hoc viro, qui nequaquam vacuum vas, sed plenum fuit virtute, ideoque non maledixit, sed benedixit Deo. Thus et pix affinia videntur: sed utrumque in ignem projice; illud suave, hoc male olebit. Thus virum rectum, pix hypocritam representat, qui in tribulatione positus factorem suum depromit, quia vera virtute caret, mundo, non Deo placere querit, temporalia non æterna cogitat. Herinacius, dum in terrâ est, patiens et promptus ad quævis sustinenda videtur, cum in globum se convolvit: at ubi in aquam projicitur, statim sese explicat, et ut enatet, laborat. Dum bene est hypocritæ, paratus esse videtur ad quævis exultanda. Verum si in aquam tribulationis cadat, mox eluctari totis viribus contendet, suamque impatientiam prodet.

IV. Res vacuæ reddunt echonem, cum in eas vocem emiseric; uti dolia vacua, specus et montes cavi: ita hypocritæ cum objurgantur, obmurmurant, et quasi echonem impatientiæ reddunt, atque increpantem increpant. Ita testatur S. Gregor. in moral. *Hypocrita inquit, in laude positus, si hunc quisquam corripere audeat, asperitate sua protinus vitam corripientis cecat, reprehensum se in pravitate irascitur.* Exemplum protulit abbas Cassianus (ut refertur in spec. exempl.) de quodam monacho, qui venit ad Serapionem abbatem, a quo jussus secundum morem orationem facere, renuit, dicens, se peccatorem et monachi habitu indignum; idemque repetebat, cum ei bonus abbas pedes abluere vellet. Post refectiunculam cœpit eum monere abbas, ne multum evagaretur, sed contineret se intra cellam, et attenderet sibi ipsi. Quo audito frater illic excanduit, faciemque commutavit, indignationem suam monstrans. Tum Serapion: *Itane, mi frater, te ipsum humiliare nosti, dicens te peccatorem, vita etiam indignum: et paternam admonitionem ferre non potuisti? Corrige te opus est, si velis esse humilis.* Similem historiolum refert discipulus, notus ille et antiquus concionator, sermo C. de moniali, quæ quidem coram suo confessario ream se multorum asserebat scelerum, ob quæ etiam alii a Deo plecterentur. Cæterum confessarius hypocrisin subodoratus in hæc verba ei respondit: *Sanè credo, quod ais, nam hoc idem ab aliis de te narrari audivi. Tum illa in iram versa: Mentiris, inquit, in collum tuum, et qui tibi ista narrarunt, æque mentiuntur. Deprehendit ergo confessarius hujus femine hypocrisin. Unde S. Gregorius in mor. ait: *Superbia vitium est, ut quod de se se fateri quisque sponte dignatur, sibi hoc dici ab aliis dignatur.* Ita res vacuæ et leves, uti plumæ, sponte quidem avolant, projici vero se non ferunt.*

V. Res vacuæ, cum terræ adhærent, nullum vel modicum edunt sonum: at in altum elevatæ et sibi relictæ edunt maximum, uti campanæ, pelves et cacabi æmei. Pari modo hypocritæ in humilitate constituti, muti videntur et mortui: verum elati ad honores neminem non clamore suo terrent, et nihil non facere audent, fiuntque intolerabiles. Cinis, quem in altum sparsit Moyses, Exod. IX. priusquam spargetur, cinis vulgaris et innoxius fuit, at ubi in altum sparsus est, acquisivit adustivam et igneam virtutem, effecitque ulcera in hominibus et jumentis. Sic etiam hypocritæ dum in terra jacent, seu humili et contempto loco, mites et innoxii sunt. Verum ubi in altum efferuntur, tum induunt naturam asperam et ustivam, gravia quoque damna inferunt subjectis. Nero

initio imperii mansuetissimum ac clementissimum se exhibuit. Ita ut supplicio quorundam latronum subscripturus diceret: *Quam vellem nescire litteras!* At brevi adeo efferus est factus, ut satiari sanguine non posset.

VI. Apud S. Job, c. XXXIX. depingitur hypocrita sub typo struthionis, uti docet S. Gregorius, l. XXXI. moral. c. V. Primo enim: *Penna struthionis similis est pennæ herodii et accipitris*, inquit Deus ad Job; quia scilicet alas et pennas habet instar aliorum avium easque agit dum fugit, ut volare videatur, revera tamen non volat, sed currit potius in terra, a qua non elevatur, nec in aerem libratur. Unde Gregor. in eum locum ait: *Struthio volandi speciem habet, sed usum volandi non habet: ita hypocritis cunctis intuentibus imaginem de se sanctitatis insinuat, sed tenere vitam sanctitatis ignorat.* Conficiunt se hypocritæ jejuniis, vigiliis, orationibus, ut aliqui viri justî; interim tamen his operibus cælum aut Deum non attingunt, sed in terra repunt, quia Deo per hæc placere non quærunt, sed hominibus, qui in terra morantur. Videntur aliqui suis operibus rapi velle usque ad tertium cælum: sed corporis mole prægravati a terra non elevantur, quia struthionis instar pennas devotionis habent breves, carnis vero pondus magnum.

Secundo, struthio: *Derelinquit ova sua in terra: Obliviscitur, quod pes conculcet ea aut bestia agri conterat: duratur ad filios suos, quasi non sint sui*, subdit ibidem Dominus. Ita hypocrita ova quidem honorum operum, et cum dolore parit, ea tamen sibi ab inani gloria eripi sinit; imo etiam gaudet contra naturam omnium animalium. Deinde, uti struthio ova parit, sed non fovet: ita hypocrita verba quidem profert, sed opere non complet.

Tertio: *Privavit eam Deus sapientia, nec dedit illi intelligentiam*, uti ibi dicitur. Stoliditas hæc struthionis in eo sita est, quod cum equite sit altior, latere tamen se existimet, cum collum frutice occultaverit, teste Plinio, l. X. c. 1. Ita quoque hypocrita modo se humiliat coram hominibus, jam se suamque hypocrisin latere prorsus existimat; cum tamen ab oculatis, tandemque etiam ab hominum plebe plerumque deprehendatur ac cernatur.

Quarto: *Cum tempus fuerit, in altum alas erigit.* Tigurina legit: *Postquam adultus alas attollit.* Celeriter enim adolescit, et ex minima fit maxima. *Tria*, inquit Ælianus, l. XIV. c. XX. *ex minimis evadunt maxima animalia: ex aquatilibus crocodilus: ex volucris magna struthio: ex quadrupedibus elephantus.* Ita hypocrita primo quidem per fictam humilitatem minimum se præfert: at cum tempus et occasio fuerit, tum

alas attollit, et dilatat phylacteria sua, tum explicat superbiam suam, et despiciit inferiores, sicque ex minimo repente fit maximus. Attollit etiam alas, quia ut struthiones suis pennis obtinent et adornant ducum galeas: ita hypocritæ suis figmentis norunt obtinere summas dignitatum tiaras, episcopatus, præposituras, etc.

Quinto: *Deridet equum et ascensorem ejus*, subjicit ad extremum Dominus, cit. loc. Jobi. Hoc autem facit struthio primo, quia cursus sui celeritate equos superat. *Struthiocamelum*, inquit Xenophon, l. 1. de Cyri expedit. in Arabia, *nemo omnino capere potuit: tam longe enim modo pedum pernitate, modo vero alarum quasi velificatione promovebant, ut statim equites desperata præda insequi desiderent.* Unde et natura dedit ei cervinos pedes. Ergo ut struthio equum fugit pedibus cervinis, ita hypocrita laborem animo suo timido, estque tempore tribulationis pavidus et fugax, et tamen interim deridet equum et venatorem, hoc est, tribulationem et tribulatorem; quia fingit se cordatum. Secundo, deridet venatorem, quia, ut Plinius, l. X. c. 1. et Ælian. l. XIV. c. XXI. scribunt: *Cum propior facta est, ut a venatore capiatur, obvios lapides sic pedibus retro ad hostes versus tamquam funda jaculatur.* Ita et hypocritæ increpantes et calumniantes se, lapidibus impetunt contumeliarum, execrationum murmuris, etc. subitoque exandescunt, si non nihil eos lacessas.

VII. Denique, in hodierno evangelio describuntur nobis hypocritæ specie luporum, qui sub ovina pelle incedunt; quos proinde a fructibus cognosci, monet Dominus. Jam vero non est difficile discernere ab ove lupum etiam ovilla tectum. Primo enim, noscitur ex voce quia ovis versus terram balans emittit vocem: lupus vero ululans in cælum intendit. Ita vir vere probus humiliter de se loquitur, et crebro secum expendit, quod si terra, et in terram reversurus: at vero hypocrita sublimia de se prædicat, seque ipsum extollit, nec de terra et morte sua cogitat pomum sæpe foris eximæ pulchritudinis et integrum illæsumque apparet. Sed exiguum foramen, unde irrepsit vermis, prodit esse læsum ac putridum. Hypocritam prodit os, exiguum foramen, quo seipsum laudat et alios vituperat.

Secundo, noscitur ex cibo; quia carnibus tantum pascitur, sed fere occulte et longe ab hominum conspectu; herbas non admittit, quibus tamen solis contenta est et pascitur ovis. In hunc modum hypocritæ suas commoditates et carnis delicias quærunt, iis tamen in publico non facile utuntur, sed clamet remotis arbitris, ne carnales et improbi judicentur. Spernunt

igitur esuriales cibos, et quæcumque carni mollesti sunt; spernunt etiam pasua cœlestium contemplationum, quibus tamen nutriuntur, qui vere boni sunt.

Tertio, noscitur ex dentibus, quos ad rapinam et lanienam factos, mordaces atque acutos habet: ovis vero nequaquam. Ita et hypocritæ proximorum famam admordere, justorum facta laudabilia carpere et obscurare, contra Dei et superiorum placita murmurare solent. Cum enim terrenis rebus affixi sint, inique ferunt ea sibi, tamquam justis non affatim distribui, alios sibi præferri, secumque male agi conqueruntur, juxta id Isa. LVIII. *Me etenim de die in diem quærunt, et scire vias meas volunt*, (hoc est, ut exponit Cyrillus, me in jus vocant, suam allegantes justitiam meorumque consiliorum iniquitatem) *quasi gens quæ justitiam fecerit, et judicium Dei sui non dereliquerit: rogant me judicia justitiæ: appropinquare Deo volunt*, ut cum Deo scilicet disputent, quare sinat eos sine causa premi calamitalibus: unde subdunt: *Quare jejunavimus, et non aspexisti, etc.* Ad vero justî de æterna tantum felicitate solliciti, semper se accusare et demisse orare solent.

Quarto, ex conversatione. Ovis enim gregatim vivit, et societate gaudet, lupus vero solitudine, unde vel solus semper, vel cum paucis aliis lupis graditur. Pari modo hypocrita fugit sæpe hominum consuetudinem, fingens se illorum pravus moribus offendi, cum paucis sui similibus in angulis versatur, et consilia sua communit. Contra justorum est neminem aversari, sed omnes se meliores reputare, ideoque ex illorum societate semper aliquid solatii aut doctrinæ quærere, vel occasionem ipsos instruendi.

Quinto, ex ipsa etiam pelle. Tametsi enim lupus ovina se pelle tegat, ut supponimus, adhuc tamen haud difficile dignosci ab ove potest. Nam ovis licet tondeatur, semper tamen gerit lanam, quæ mox iterum succrescit, at si tondeatur lupus pellem ovinam gerens, non succrescet ipsi lana. Sic vera justî virtus tribulatione roboratur, simulata vero seu hypocrisis detegitur, et nuda atque inanis esse ostenditur. Unde S. Augustinus in id Matth. VII. « Qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, ait, cum ceperint aliquibus ea ipsa subtrahi vel negari, quæ isto velamine consecuti sunt, vel consequi cupierunt, tunc necesse est, ut appareat, utrum lupus sit in pelle ovina, an ovis in sua. » Denique, talis lupus duplicem gerit pellem, ovinam foris, intus vero lupinam: at ovis unam tantum et uniformem gerit; ita justus simplicitate gaudet, quia simulare nescit: hypocrita duplex est, foris bonus, intus malus. Sane hoc colligimus a Deo prohibitum fuisse, cum Deut.

XXII. ita decernit Moyses: *Non indueris vestimento, quod ex lana linoque contextum est.* Hujusmodi pannus est, qui vocatur Italice mezolana, quod partim ex lana, partim ex lino confectus sit. Sed quid attinebat hanc vestem prohibere, nisi quia hypocrisin representat? Quare videat unusquisque ne in animo saltem vestem de mezolana gerat. Quid enim legimus apud Sophoniam, c. 1. *Et erit in die hostiæ Domini* (qua scilicet impios mactabit veluti hostias) *visitabo super omnes, qui induti sunt veste peregrinâ.* Peregrina vestis est hypocrisis. « Quid enim, inquit Rupertus, magis est peregrinum, quam sunt lupis rapacibus vestimenta ovium? Quid magis peregrinum, quam eum, qui intus plenus est iniquitate, foris hominibus justum apparere? » Quisquis ergo in die illa trucidari non vult cum lupis, studeat esse ovis.

CONCIO VIII.

FRUCTUS HÆRESEOS.

I. Cæcitas et errores. — II. Impietas. — III. Morum corruptio.

THEMA.

A fructibus eorum cognoscetis eos. Matth. VII.

Lata est sententia a Christo judice in hæreses nostri temporis: *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur et in ignem mittetur.* Si arbor, quæ non facit fructum bonum, quanto magis arbor, quæ fert fructus malos? Talis autem est hæresis nostri temporis Calviniana et Lutherana; itaque tandem (quia jam sat diu expectata est) tempus est ponendi securim ad radicem, eamque excidendi. Verum quoniam reis supplicio mulctandis prius proponuntur eorum malefacta coram universo populo, ut appareat eorum justa condemnatio, idcirco etiam nos proponemus hac concione pessimos et morte dignos illarum hæresum fructus, ut ex illis arborem agnoscamus, eamque ultimo excidio dignissimam videamus.

I. Cæcitas et errores. Nam primo, parit miram rerum divinarum et quæ ad fidem spectant, ignorantiam. Constat hæreticos nostros inter alia nihil pene scire de sanctis Ecclesiæ approbatissimis, eorumque vita, cum tamen apud catholicos vel parvuli eos norunt. Ratio, quia illi sanctorum gesta, utpote moribus et dogmatibus eorum prorsus contraria, exterminant et legi prohibent. Quid facilius et vulgatius quam formare signum crucis? Id tamen non potuit vel ipse Lutherus, quo modo faciunt in missa sacerdotes. Cum enim inciperet aliquando hujusmodi cruces mira digitorum gesticulatione